



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Quomodo debeat consuetudo esse rationabilis, & legitimè
præscripta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

wim gravem extorti , cùm talis vis ab ex-
trinfeo illata tollat voluntarium.

3. Debent exerceri à populo introdu-
cente Consuetudinem , quasi ex obliga-
tione , sive animo , saltē interpretativo ,
introducendæ Consuetudinis obligantis ,
neque enim actus agentium operantur
ultrà intentionem eorum , qui tales actus
exercerent o. fin. de prabend.

§. V.

*Quomodo beat Consuetudo esse
rationabilis , & legitimè prescripta?*

Exult. c. h. t. probatur , quod Con-
suetudo , ut viam aliquam habeat , de-
beat esse rationabilis , & legitimè prescrip-
ta. Rationabilis autem dicitur illa Con-
suetudo , quæ est de re honestâ , ac utili
republicæ ; sive ut alii fustus eam expli-
cant , quæ non est contraria juri naturali ,
nec divino positivo , nec religioni adver-
satur , nec est contra Ecclesiæ libertatem ,
nec licentiam , vel occasionem peccandi
præberet , nec bono communi , & publico
noxia est &c. de quibus omnibus , utrum
Consuetudo ea habeat , prudentis judi-
cis arbitrio relinquendum putant aliqui .
Ut autem legitimè prescripta dicatur ,
debet tanto tempore cum bona fide , &
aliis conditionibus , ad introducendam
Consuetudinem requisitis , esse continua-
ta , quantum ad legitimè prescribendum
de jure requiritur , ut pluriib[us] mox dice-
tur.

§. VI.

*De Conditionibus requisitis ad le-
gitimam prescriptionem Consue-
tudinis.*

Res p. i. Ad introducendam Con-
suetudinem præter legem , si viâ

convenientia illa introducatur , id est , si
introducatur sciente & tolerante Princi-
pe , cùm tamen facile contradicere pos-
set , si vellet , probabilius est , non requiri
certum tempus , quia tunc non tam per
prescriptionem , sed per tacitam Principis
personalem approbationem introducitur
Consuetudo . Sufficit ergo ad introdu-
cendam talem Consuetudinem tanto
tempore eam continuare , quantum ne-
cessere est , ut ex prudenti arbitrio Pe-
ncipis consensisse in eam personaliter cen-
seri possit . Si vero via prescriptionis
ignorante scil. Principe , Consuetudo
civilis introducenda sit , requiritur , &
sufficit Decennium , quo elapsi vim juris
non scripti Consuetudo illa habet ; cùm
enim ad introducendum jus per prescrip-
tionem longum tempus , de jure Civili
requiratur l. de quibus 32. & l. sequente
FF. de legibus ac toto Tit. C. qua sit longa
Consuet. longum autem tempus cente-
tatur Decennium §. i. inst. de usucap. l.
sult. & toto Tit. Cod. de prescript. long.
temp. consequenter ad introducendum
taliter viâ prescriptionis jus Consuetudi-
nis sufficit decennium : quod plurimum tem-
pus rectè putant DD. sufficere ad intro-
ducendum viâ prescriptionis jus Con-
suetudinis Canonica præter legem , sal-
tem si non derogetur juri alterius Eccle-
siæ , cùm enim in illis , quæ sunt contra ,
sed tantum præter jus Canonicum ,
nihil certi quoad tempus statuatur , vi-
dentur ea observanda ad prescriptionem ,
quæ sunt de jure Civili statuta . Si tamen
Consuetudini introducenda resistat lex ,
non quidem reprobando eam , tanquam
irrationabilem , aut corruptelam (quæ
Consuetudo , quamvis immemorialis sit ,
ad